


J.L. Gottfreid. Archontologia Cosmica sive Imperiorum, Regnorum, Principatum, Rerumque publicarum omnium per totum terrarum orbem commentarii luculentissimi. Jennisius, Frankfurt, 1628, Book III, p.2





citare horas Crucis, & gestare quinque cruce rubras in memoriam quinque vulnerum Domini nostri. Quidam eorum originem & institutionem ad Apostolum S. Iacobum, episcopum Ierosolymitanum, referunt, qui mortem pro fide subiit, anno LXIII. Ob hanc causam Equites huius Ordinis Patriarchæ Ierosolymitani imperio subiecti esse videntur.

*Institutio Equitum Ordinis Sanctæ Ampullæ in ad S. Remigii Durocortori Remorum.*

- 2 Clodouæus, primus huius nominis, & primus Rex Christianus in Gallia, conuersus ad fidem Christianam instinctu Clotildæ, vxoris ipsius, filie Regis Burgundiæ, Christianismo per Baptismum initiatus fuit à S. Remigio in templo Remorum, & antequam sacro fonte ablueretur, de religione Christiana & Catholica coram Deo & hominibus protestatus est. Hic euidentis miraculum accidit. Nam cum non reperiretur oleum chrisimatis in vase ordinario ad tantum hunc regem vngendum, inspecta fuit columba candida, quæ phiala crystallinam, oleo sacro & diuino plenam, quod cælitus missum erat, vt hic defectus miraculose suppleretur, tenebat: qua delata in manus reuerendissimi archiepiscopi S. Remigii, ille Regem vnxit. Inde eluxit singularis cura, quæ Deus semper de salute & incolumitate nostrorum regum habuit, qui ab eo tempore titulum Christianissimi usurparunt. In cuius rei memoriam hodieque religiose seruetur phiala illa sacro oleo plena, quæ S. Ampulla vocatur, ex qua fere omnes Reges Gallie deinceps vncti fuerunt, in templo Abbatie S. Remigii, Durocortori Remorum.

Pictas huius magni Regis Clodouæi, ad fidem Christianam conuersi, ipsum impulit, vt in testimonium sue gratitudinis pro singulari hoc beneficio, quod à Deo acceperat, qui ipsum vnctione olei cælitus demissi Christianismo initiaverat, templum illud S. Remigii magnis præmiis, redditibus, & privilegiis ornaret. Atque in memoriam sui zeli & affectus erga illius loci Ecclesiam, quatuor Barones, viros nobilissimos, illius beneficiarios creauit, vt essent Equites S. Ampullæ: quem Ordinem instituit, vt sanctum hoc ornamentum & vere religionis testem honoraret.

Hi Equites S. Ampullæ magnis & eximiis privilegiis fruuntur, quæ ipsis à Regibus Gallie, diebus consecrationis & coronationis eorum confirmantur.

Diebus illis quatuor Equites Barones tenentur ex officio gestare vmbellam, sub qua sancta Ampulla, solenni pompa, à templo S. Remigii vsque ad ædem B. Virginis in vrbe Remorum à cænobiarcho Abbatie defertur, & inde referretur, cæremoniis illius consecrationis peractis.

Nomina Baronatum Equitum S. Ampullæ sunt hæc: I. Baronatus Antri, cuius territorium patronum agnoscit Archiepiscopum Remensem, & feudum est Abbatie S. Remigii: propterea illius possessor hoc iuris habet, vt se dicat primum Vasallum, Baronem & Equitem dicti Archiepiscopi Remensis, & vt portet primum sea-

pum dextrum vmbellæ, quando S. Ampulla Remigii ad B. Virginis ædem defertur.

II. est Baronatus Nonouisianus.

III. est Baronatus Lourecianus.

IV. Loco quarti in cæremonia alius substituitur, propterea quod is, qui debebat esse Eques, & suum ordinem tenere, est additus religioni Protestantium.

*Ordo Equitum S. Mauricii & S. Lazari inter Sabaudos.*

Communis opinio est, Ordinem S. Lazari institutum fuisse tempore S. Basilii magni, vt refert S. Greg. Nazianzenus. Basilius enim nosocomium condidit, sub titulo S. Lazari, qui postea nomen dedit huic Ordini: cui rei fidem facere videntur tot Lazarorum ædes per totum orbem Christianum sparsæ. Cui vero prima hæc institutio à primis suis incunabulis extincta fuisset, propter irruptiones barbarorum, & alias iniurias primorum illorum temporum, visa est renasci & instaurari hoc felici seculo, quo Principes Christiani, sancto fœdere iuncti, Ierosolymam & alia loca Terræ sanctæ Saracenis eripuerunt, Equitibus huius Ordinis magna charitate in sua nosocomia recipientibus fideles, qui ex omnibus Europæ regionibus ad tam felicem expeditionem confluebant, & sumptus ad tam gloriosam Christianismi propagationem conferentibus: propter quæ officia Principes Christiani multas domos & hereditates ipsis donarunt, an. MCLIV. quæ donationes diplomatis Pontificum Alexandri IV. Nicolai V. Clementis IV. Ioannis XXII. & Gregorii X. confirmatae fuerunt.

Profiterentur regulam S. Augustini, & pro insigni sui Ordinis gerunt crucem viridem, quam Emanuel Philibertus, Dux Sabaudie, postquam magnus eorum Magister à Gregorio XIII. constitutus fuisset, & hunc Ordinem cum Ordine S. Mauricii coniunxisset, limbo candido circumdedit, in cuius medio cruce S. Mauricii inclusit.

Quod ad Ordinem S. Mauricii actinet, Annalium Sabaudie scriptores referunt, eum huiusmodi originem habuisse. Amedæus, dux Sabaudie, qui cum ad supremum Pontificatum euectus fuisset, nomen Felicis V. assumpsit, reliquis rebus omnibus, Ripallam ad Lacum Lemannum concessit, decem Equitibus ex illustribus familiis comitatus, vbi vitam Eremiticam amplexus est, in cænobio, à maioribus ipsis in memoriam & honorem S. Mauricii condito, longa toga coloris cineræ indutus, quam zona inaurata cinxit, pallio super iniecto, eiusdem cum toga coloris, cui crux, auro texta, inserta erat. Franciscus Modius in suis Pandectis asseuerat, hos Eremitas, quos appellat Equites S. Mauricii, hoc habitu inter fuisse consecrationi Felicis V. fundatoris sui, anno MCC. CCXL. atque ita ostendit, quo in Ordine vixit, & quem habitum nouus hic Pontifex gestare, antequam ad Pontificatum eueheretur.

*Ordo Equitum Canis & Galli gallinacci, in Gallia.*

Auctores nihil certi memorant de institutione horum duorum Ordinum, qui tamen Momorenciorum familiae tribuuntur. Primus